

37

76

OCCVLTAS
INFLAMMATIONES
IN FEBRIBVS PVTRIDIS CONTRA
DVRIA NVPER MOTA

D. FEBRVARII CICICCLXXXIX.
PRO DOCTORIS MEDICI HONORE
RITE CONSEQVENDO
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
IOSEPHVS PILTZ,
BRIGA-SILESIVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

OCCASIO
ALBANI LIBERIA
IN LIBRARIAS FAVILLIS CONTRA
DARIA-NATUR MOTU

TERRAVAN CEDIDOCCLXXXIX
SIC DEDICATORI MISTERIIS NOMINE
THE CONSERVATION
KULTURDENKMÄLER
AVAR
ARTIS LIBRARIAE
ARTIS LIBRARIAE

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
HANNOVER



PROLEGOMENA.

Nuper fortuito mihi in manus venerat *dissertatio inauguralis medica*, *sistens dubia quae-dam contra inflammationes occultas in febribus putridis* *). Attentus mota ab auctore dubia rimabar, seduloque argumenta allata ex-pendebam: nam magni in praxi medica mo-menti materiem censui; at per pensis omni-bus ne minimum quidem a contraria, qua-teneor, sententia discessi, sed potius eandem tuendam suscepi, tanquam sententiam theo-riæ non repugnantem, rationi conformem, ac experientia — fida hac in morbis meden-dis duce, ac magistra! — confirmatam. Lu-gebant SYDENHAMI, HVXHAMI, SWIE-TENII, STOLLII, SELLII, omnesque me-dici, quibus aegrorum salus, artisque no-strae incrementum cordi est, saepissime

A 2 prae-

* Auctore ABRAHAMO ZADIG, Halae 1788.

praeteruideri in febri putrida inflammatio-
nes topicas, eas vero aequa difficile cognosci, ac cognitas sanari. Saepe et mihi ad
lectos aegrorum infaustum hoc connubium
morborum e diametro sibi oppositorum vi-
dere licuit; et si miseri inter graues cum
morte luctas plerumque succubuerint. In-
time igitur de his persuasus, paginis hisce
breuiter exponam, quae ego sentio: hinc
primo dubia ab auctore citati opusculi allata
refutabo; dein conditiones, sub quibus
inflammationes topicae febribus putridis so-
ciari possunt, adducam; quibus denique
monita quaedam praetica subiungam. De-
cidant aequi iudices, vter nostrum verius
senserit. Dent veniam tironi medico, si in-
dustria in elaborando hoc opusculo, si inge-
nii vires, quae tenues sunt, grauitati ma-
teriei non respondeant. Finis, quem mihi
praefixeram, non erat, vt litem moueam,
vt partium studio contradicam, aut vanam
ostentem scientiam; sed vt mori satisfaciam,
qui exigit, vt summi in medicina honores
dissertatiuncula quadam redimantur.

СІДАС ОВАННІСІ СІДІСІ **СА-**

CAPVT I.
REFVTANTVR DVRIA AVCTORIS.

§. I.

Dubium primum.

Postquam auctor opusculi supra citati modernorum de inflammatione hypothesin, atque febris putridae naturam exposuerat, generalia quaedam dubia proponit contra inflammations occultas in febri putrida, demumque ad specialia quaedam transgreditur. Non quidem presso quasi pede illius ordinem sequar, neque tamen ullum argumentum mihi contrarium praeteribo. Primum igitur dubium in eo consistit, quod nempe neque miasma putridum, neque acrimonia humorum alcalescentium, stimuli munere, qui tamen ad inflammationem topicam generandam requiritur, fungi possit, ob vim neruorum ac vasorum labefactatam, ac inualidam redditam. Dubium hoc tollitur modernorum hypothesi, cui quoque auctor ipse fauet. Iuxta illam enim pars quaedam corporis, a stimulo quodam acri irritata, inflammari potest, nulla inde febri vniuersali oriunda, nisi peculiaris in homine sit dispositio ad inflammationem recipiendam. Sed missa hypothesi ad experientiam confugio, quae medicos toties docuit,

A 3

cuit,

cuit, in hominibus debilibus, leucophlegmaticis, hydrope, scorbuto, laborantibus inflammations topicas ortas esse. Ita mense Decembri tempore frigido vidit **STOLLIVS** a) frigidissimum hydropicum, totoque corpore tumentem, dolore pleuritico prehendi, et valide febrire. Sanguis eductus corium pleuriticum exhibuit, magnumque et oppressionis, et respirationis, ac tussis leuamen tulit. Alium casum autoptes noui, vbi femina post Scarlatinam, dum premature aeri libero sese exposuisset, in hydrozem anasarca incidit, paulo post autem post transpirationem denuo suppressam graui peripneumonia correpta est. Mense Nouembri anni CCCCCLXXXVII in scholam clinicam Viennensem ex suburbio, vulgo *Roffau* dicto, et tempore autumni eiusdem anni inundationibus Danubii valde obnoxio, puerum quidam attrulerunt, qui praeter scorbutum, et febrim putridissimam, petechias, vibicibus atque ecchymosibus stipatam, peripneumonicus factus est. Longus forem, si casus similes, ab expertissimis in arte viris recensitos, huc adducerem. Qui vero negat, posse in febre putrida inflammations topicas oriri a bilioso putridoue acri stimulo, seu in ipso sanguine nato, seu secundario ex primis viis in sanguinis massam recepto, et ad viscera delato, eum ad ipsos aegrorum lectos, diuerso anni tempore, et ad magnorum virorum scripta relego; qui ducti experientia, firmis sanae rationis argumentis innixa, naturae mysteria inter aegrorum miseras scrutabantur,

in

a) *Ration. med.* Tom. II. Viennae 1778.

in morbis medendis excellebant, quosque fama immortales dixit.

§. II.

Dubium alterum.

Summa huius dubii haec est: Ex immutabili naturae lege effectus cum vi agente eandem seruat proportionem; igitur ex deiectione virium, a quibus inflammatio pendet, atque ex absentia doloris, tanquam symptomate primario, vehementiam inflammationis determinante, colligere licet, inflammationem, licet reapse adsit, leuem, eiusque effectus nonnisi leues esse posse. Respondeo. Lex naturae ab auctore citata conuenit omni corpori physico, locum vero non habet in homine, qui, praeter attributa omni corpori communia, vi sensibilitatis, atque irritabilitatis praeditus est, qua postrema fieri potest, ut a causa quadam exigua, a stimulo quodam leui, irritante, turbae multae et magnae excitentur. Errare mihi videtur auctor etiam in eo, si ex sola doloris absentia, aut vehementia, ad gradum inflammationis concludit. Raro enim inflammatio doloris sensui respondet. Dolor, inflammationis comes, nonnisi leuis esse potest, et obscurus in inflammationibus earum partium, quae sensibilitatem aut amiserunt, aut sensu omnino per se carent, aut obtusiori tantummodo donantur. Liceat mihi rem exemplo illustrare. Homini dolorifica enteritide laboranti, ad enormes cruciatus sedandos exhibeat opium; imminue-

minuetur dolor; at an etiam pari ratione inflammatio erit imminuta? Absit omnis doloris sensus; an etiam inflammatio desit? Sapientissimus naturae conditor videtur homini in salutem doloris sensum benefica manu dedisse, quo anima quasi admoneatur, ut periculum iugulo intentatum auertere tentet: si ergo remediis narcoticis hic dolor, vigente adhuc eius causa, obtunditur, non tollitur inflammatio, sed morbi duntaxat sensatio, aut mitigatur, aut deletur, proh! in miseri perniciem. Sed pone, dolorem sentiri leuem in inflammato quodam viscere, an effetus eiusmodi inflammationis, quam leuem aduersarius dicit, pari modo leuis erit? Vtrum periculo fiorem mecum putabis? eum, qui mihi eminus minatur, lento passu sub miti forma incedit, vitaeque meae clam infidias struit: aut eum, qui furiosa manus me aggreditur, ac gladio cruento mihi cor pertundit? Necem ab utroque intentatam quonam in casu melius, securius auertam? Confirmant hanc similitudinem pleuritides illae, et pleuroperipneumoniae occultae, chronicæ dictæ, a **BAGLIVIO** detectæ, a **STOLLO** magis dilucidatae, quas dolor lateris plerumque leuis, oppressio thoracis exigua, comitatur, difficiles detectu, nisi tussi aut fortis inspiratione excitentur. Febricula est leuissima, inflammatio ad speciem mitis, exiguo, fere nullo, dolore stipata, quae tamen pedentim, quod morbus vel a medico praeteruidetur, vel ob fallacem morbi leuitatem ab aegro negligitur, in phthisin abit immedicablem. En causam leuem, dolorem leuem, inflam-

inflammationem leuem! an etiam effectum leuem censem? — Valet hic CELSI effatum: *id genus morbi plus periculi, quam doloris habet.* Quod vi- rium deiectionem attinet, eam non aduersari inflam- mationibus topicis in febri putrida, aliquomodo ex dictis iam pater, magis vero adhuc ex mox dicendis elucebit. Restat, ut refellam opinionem auctoris, cui dolor est symptoma primarium et vnicum, e quo vehementia inflammationis determinetur.

§. III.

Dubium tertium.

Postquam auctor exempla quaedam attulit, quibus ostendere conatur, ad inflammationis praesentiam demonstrandam non sufficere, si singulatim vnum aut alterum phenomenon illi proprium adsit, sed plura coniunctim requiri; (quod et ego lubens fateor) hisce verbis demum concludit: Nescio igitur, ait, qua ratione factum sit, ut clarissimi illi viri ad inflammationes occultas refugerent, quum illud primarium et vere vnicum internarum inflammationum signum, dolor fixus, pungentem puta, desit, et reliqua corporis conditio inflammationi non faciat. Dicam, quae ego et de pulsu, et de dolore in inflammationibus internis sentiam. Vtrumque symptoma saepissime fallit. Pulsus in quounque morbo febrili omnem meam attentionem meretur, mihique semper res erit magni momenti; at in inflammationibus viscerum pulsu nil fallacius noui.

B

Fre-

Frequentem hanc pulsus fallaciam saepe in viscerum abdominalium inflammationibus vidi; subinde pulsus aut naturalis erat, aut mollis, fletitie debilis, qui demum post factas sanguinis euacuationes in frequentem, durum, fortem mutabatur. Saepe variant arteriarum pulsus in latere, aut vnice, aut magis affecto, in quo plerumque humiles, contracti, suppressi deprehenduntur, qui dein post unam aut alteram venaelectionem institutam magis euoluuntur, liberiusque digitum tangentem offendunt. Eadem ratione pulsus tum in omni thoracis morbo, tum praecipue in pulmonum inflammatione infidus est. Ita STOLLIVS b) una alteraque vice in grauissima pulmonum inflammatione pulsum mollem, debilem, celeremque deprehendit; ubi nihilominus venaelectione insigne leuamen tulit, sanguine crassam, tenacemque crustam exhibente, et pulsu paulo post assurgente, plenioraque. Hinc securissimus fons, ex quo indicationem in his casibus saepe ancipitem deriuari oportet, erit: si attente laesa visceris affecti functio consideretur. Quod maxime in peripeumonia obtinet, in qua respiratio tutissimam viam ad morbi diagnostin et prognosin formandam monstrabit. Idem testatur magnus BAGLIVUS c), qui respirationem quam maxime, ac fere vnic in morbis pectoris vult obseruandam; quae si prava fuerit, semper timeant medici, et si omnia reliqua euentus exoptatos portendant. Sufficent haec de pulsu: ad dolorem

b) Ration. medendi Tom. I.

c) Praxis medica.

rem nunc transgredior. Negare non possum, dolorem, et quidem pungentem, acutum, inflammationibus internis frequenter sociari; verum ex altera parte quoquā, et ratione, et experientia, didici, dolorem, si inflammations topicas comitetur, saepe aut leuem duntaxat, aut nullum sentiri. Si hepar in parte eius concava inflammat, quod aequē facile in febri biliosa, ac putrida contingit, ac tunc praeteruidetur; dolor plerumque non prius sentitur, quam si hypochondrii locus affectus a medici manu contrectetur, tumque dolor iste minime pungens, acutus, sed obtusus perinde, ac in liene inflammat, deprehenditur. Accedit saepe, vt in peripneumonia vera pectus non doleat, sed solum molestia quaedam, anxietas quaedam, vel oppressio accusat. Miri denique fuere casus, vbi grauissimis pulmonum inflammationibus laborantes ne de minimo incommodo querebantur. Multos eiusmodi casus ipsemēt anno elapso in nosocomio generali Vindobonensi vidi, praesertim mense Februario; quo aëris constitutio phlogistica morbos inflammatorios omnis generis producebat. Qui nihil minus in dubium hoc vocant, mihiq[ue] tironi fidem denegant, legere velint, quaeſo, atque attente perpendere historiam morbi viduae illius, quae graui thoracis inflammatione, vitio bilioso systematis gastrici stipata, laborabat, quamque celeberrimus **STOLLIVS** d) felici, qua solebat, methodo sanabat. Liceat mihi ſaltem eſſentialia illa ſymptomata, quae argumentum

B 2

meum

b) *Rat. med.* Tom. I. *ephemerid.* An. 1776. mens. Iun.

meum confirmant, adducere. Eo tempore, quo pulmo periculose inflammatus erat, miserae tamen dolor lateris vix ullus erat, nullus oppressi pectoris sensus, cubatus in omnem partem facilis; pulsus naturali modice celerior, subdurus; moderate calebat, capite non dolebat; animus praesens et alacer: prompta responsio, actorum adcurata narratio, facilisque, quamcunque in partem vellet, conuersio. At respiratio, ut ipismet aegrae facilis videbatur, citissima tamen, et abdomine potius, quam thorace peragebatur. Hinc venae sectione instituta, saepius repetita, quam semper crusta sanguinis inflammatoria ingentis tenacitatis sequebatur, methodoque antiphlogistica exhibita, licet petechiae liuidae existent; pectoris oppressi sensus rediit, sensim euanuit spirandi difficultas, respiratio emendata, ac naturalis facta est, sanitas denique integre restituta. Finita hac morbi historia pergit vir immortalis, rem subiuncta declarare causa. „Cum enim, verba eius citato, inflamatio pulmonum altius penetraret, difficilisque per hoc viscus humorum circuitus sanguinis a capite refluxum moraretur; rubuere genae, respirationem abdomen peregit immoto thorace, pressumque ab accumulato humore cerebrum doloris sensum, praesente licet eiusdem causa, abstulit.“ Si haec contingunt in morbis, in quibus vires vitae nondum deiecta, sensus adhuc vegeti sunt: nonne patet saepius haec obuenire posse in morbis, in quibus vires vitae languent, et functiones animales laeduntur. Hinc sponte cadit, quod mihi aduersarius

ad locum dicitur ad hunc istud quod I. mo. I. lxx. vltra

ultra opponit: quod videlicet aeger in febri putrida stupore et sopore correptus de nulla re queratur. Miser quidem, sibi relictus, de nulla re queritur, sed contrecta eius abdōmen ex omni parte, manu explora solerter hypochondria, regionem epigastrii, et hypogastrii: videbis certe, quomodo tunc aegri, si intus septica quaedam inflammatio delitescat, doloris sensum exprimant, atque omnem attactum refugiant. Considera respirationem, quae si neque toto thorace, neque eo alte et aquabiliter sublato, costis elatis diductisque peragatur, pulmones eodem virio affici, iure suspicari poteris. Firmant dictorum veritatem tum euentus felices illius medendi methodi, qua in casibus recentis medicus vtebatur, tam indiuiduae visceris inflammationi, quam febri principi, quantum licuisset, prospiciendo; tum cadauerum eorum, qui ex complicatis eiusmodi morbis periere, sectiones, quae medentis metum de visceri inflammato extra omne dubium posuerunt. Multas eiusmodi sectiones, mirasque morbi praegressi historias obseruationum optimarum foecundissimas recentet Cl. Morgagnius in egregio opere: *de sedibus et causis morborum* etc. indeque medicos admonet, ostendens: „vehementem dolorem, verbis illius vtor, „et acutam febrim esse quidem praecipuas notas „magnae inflammationis; nec tamen, subiungit, si „quando alterum vel utrumque horum aut abesse, „aut vix esse inuenies, continuo putabis, aut nullam esse inflammationem, aut leuem, neque „gangraenam, et sphacelum in eorum esse intersttinis

„stiris non posse, in quibus duo illa praecessisse
„non videris.“

§. IV.

Dubium quartum.

His dubiis generatim motis ad specialia quae-dam symptomata aduersarius se conuertit, quae in altero stadio febris putridae saepe occurunt, et a Clarissimo VOGEL e) adducuntur. „Obscurus ma-gis, ait citatus auctor, sed periculofior status ille, inflammatorius euadit, si sero tandem accedit: pul-sus parui, duriusculi, fili metallici instar tangentis digitum ferientes; rubor genarum, et lingua praearida praeprimis illum (statum nempe inflammato-rium) declarant.“ Haec igitur interpretatur aduer-sarius in opinionis suae fauorem, ostenditque, ad-ducta haec symptomata minime sufficere, vt inde status inflammatorius demonstretur. Cui et ego lu-bens assentior, nam ex descripta pulsus conditione, ex rubore genarum, ex linguae ariditate ad inflam-mationis praesentiam tuto concludi non potest, et si negari non possit, haec symptomata saepe inflam-mationi socia obseruari. Sed iniquum foret, puta-re, quod inde in Clar. VOGEL erroris nota cadat. Qui enim non vnum alterumue locum praestantissi-mi libri singulatim perouluit, sed integrum caput, quod de febri putrida agit, attentus scruratur, in-ueniet certe, quam multa et varia desideret vir ma-gnus

e) VOGEL Handbuch der praktischen Arzneiwissenschaft, Stend. 758.

15

gnus a medico considerari, vt connubium illud perniciosum febris putridae cum inflammatione topica rite dignoscatur. Hinc vult, vt varia morbi stadia bene distinguantur; vt simul aetas aegri, eius sexus, conditio, temperies, habitus externus, vitae ante aetate ratio, morbi praegressi, tempus anni, constitutio epidemica, medela forte iam adhibita etc. respiciantur; vt denique conditionis cuiuslibet visceris, functionum earundem laesarum exacta ratio habeatur; uno verbo, qui integrum caput supra citatum legit, auctorem eius ab omni erroris aut leuitatis suspicione vindicabit. Praeter alia signum quoddam peculiare inflammationem occultam topicam in febris putridis designans, et ab aliis medicis, et a semet ipso saepe obseruatum adducit C.I. v o G E L , videlicet: si aeger oculos quasi immobiles semper in idem punctum figat, ac si profunde de re quadam meditaretur, caeterum omnium incurius sit, minimeque attendat ad ea, quae circa illum versantur; si animi praesentia, sive conscientia desit; si denique variae spaisticae affectiones vna accedant.

§. V.

Soluitur Dubium postremum.

Aduersarius tandem obseruationes in cadaue-
ribus febri putrida demortuorum factas aggreditur;
extispicia, quae vel intestina praeerubra eorumque
vasa sanguine turgida, vel viscera suppurata, aut
gangraenosa ostenderunt, non videntur illi probare,
ibi-

ibidem antea delituisse inflammationem, eademque fere, qua solebat, ratione concludit: licet vero haec, sic namque scribit, ut observationibus comperta negare nemo possit, verumque etiam illud sit, quod phaenomena ista saepius sint effectus inflammationis; hoc tamen in casu reliqua inflammationis signa absunt, et corporis conditio tantum inflammationis gradum non admittit. Quod vasorum ruborem, atque turgorem attinet, ex eo vnicce spectato medici artis sua gnari inflammationis statum non colligunt. Docent id luculenter sectiones a MORGAGNIO, de HAEN, STOLL, SELLE aliisque eximiis in arte viris omni industria ac sagacitate factae, nobisque in usum et doctrinam solerti calamo conscriptae, ex quibus patet, morbi praegressi hiltoriam, quantum fieri possit, exactam esse praemittendam, et in cadaverum sectione multa in usum vocanda, variaque consideranda. Rem exemplo illustrabo. In pulmone hominis peripneumonia defuncti non tantum videbis vas pulmonalia turgere, et ob congestionem sanguinis ibidem natam colorem pulmonis in laete roseum mutari; sed etiam eius duritatem, molem, pondusque auctum repieres. Stridebit culter sub discendo. Particula inde abscissa, aquae iniecta, fundum petet. Pulmonem ad pleuram pseudo-membrana variae firmitatis, cohaerentiae, structurae regligatum, atque serum in cauo thoracis varia quantitate effusum deprehendes. Accedat adhuc, hominem hunc viuentem, dum aegre decumberet, medelae tuae fuisse commissum. Pono, neque de dolore,
neque

neque de pectoris oppressione vel spirandi difficultate querelas vñquam ab eo motas, tussim quidem sicciam, sed pulsus mollem, debilem, naturali parum celeiorem, calorem moderatum fuisse; attamen respirationem obseruasses naturali frequentiorem, intercifam, breuem, inaequalem, non toto thorace, eoque non sat alte sublato, sed solo fere abdomine perfectam. Si miser ille ex morbo hisce symptomatibus stipato moriatur, si demum in cadaueris dissectione pulmo characteres ante descriptos exhibeat: hominem hunc graui pulmonis inflammatione laborasse, quis negabit? Quod porro de ortu suppurationis, gangraenae et sphaceli absque praegressa inflammatione aduersarius asserit, silentio praetereo, cum hac de re satis iam et ad taedium usque in utramque partem disceptatum sit, ulteriorque disputatio limites paginis his praefixos transgrederetur. Quamcunque ego partem amplectar, argumentis meis, puto, neque maius pondus accedit, neque valor eorum immunitur. Si etiam haec quaestio de genesi puris, de ortu gangraenae in fauorem aduersarii decidatur; an inde sententia mea de inflammationibus occultis in febri putrida fluuerabit? an argumenta desumpta ab experientia, longo vsu ad aegrorum lectos ab excellentissimis in arte viris rite comparata, infringentur ab iis, quae hypothesis vaga suppeditat? in morbis medendis quae via tutior legenda erit; an illa, quae omni temporis aeuo vna eademque extitit: an haec, quae, vario tempore varia et multiplex, ingeniorum ludibriis plerumque formam debuit? — Ceterum viscera

C

viscera suppurata, aut gangraenosa inuenta ex inflammationibus praegressis originem duxisse, certe saepius innotuerit, nobisque nunc saepius patefieret, si maiori cum diligentia in omnia, quae ad morbi anamnesin pertinent, indagaremus; si attentiores essemus in considerandis visceris cuiuslibet functionibus, si denique nec pulsui, nec doloris sensui nimium fidaremus. Sed finis sit, ne benevolam lectoris indulgentiam lite hac fatigem, quae tamen praxin medicam, (contra, quam aduersarius in fine dissertationis suae sentit,) magis, quam theoriam concernit. Qui enim negat inflammations occultas in febribus putridis, is certe minus caute, minus circumspecte ageret in eiusmodi morbis medendis, sed quam primum illi idea febris putridae ex aegrotante innotuerit, ad remedia vulgo antiséptica confugiet, horumque adplicatione miserum, qui seruari fors potuisset, certae neci tradet. Felicissimum me dixeris, si breibus his paginis, leui calamo conscriptis, medicos tirones aliter sentientes, aliter agentes, convincerem, eosque in posterum in artis saluberrimae exercitio magis attentos redderem ad ea, circa quae in dubiorum solutione nunc versabar.

CAPVT

CAPVT II.

STATVVNTVR CONDITIONES SVB
 QVIBVS INFLAMMATIONES OC-
 CVLTAE FEBRIBVS PVTRIDIS
 SOCIARI SOLENT.

§. VI.

Inflammationes occultae topicae, quarum cum febribus putridis coexistentiam euincere conatus sum, vel sunt *idiopathicae*, vel *sympathicae*. Fieri enim potest, vt vera in pulmonibus e. g. inflammatio adsit, et simul putridus inflammantis acrimoniae fomes intra abdomen haereat, qui a febre inflammationem concomitante magis extricatur, iu sanguinis massam adigitur, et cum ea circumagit. Saepe autem contingit, vt stimulus putridus, quomodounque in sanguinem receptus, varias corporis partes, ad quas deponitur, succendat. Illud malum plerumque in primo stadio febris putridae: hoc in reliquis obseruatur. Illud faciliorēm capit medellam: hoc difficillimam, raro ullam. In illo casu febris putrida *effectus* inflammationis; in hoc *causa* erit. Praeuerti quidem eiusmodi inflammations septicae nonnunquam possunt, praesertim si pars maxima materiae putridae primis viis insideat; sed

C 2

prae-

praesentes iam, atque intra viscera receptae, ut plurimum necant. Occurrunt casus hi recensiti:

I. *Ob diathesin phlogisticae* in aegrotante, qui ad plethoram dispositus, et ad inflammations recipiendas proclivis est. Huc pertinent iuuenes, sanguinei, bene nutriti, laute pasti; huc spirituorum abusus, consuetae sanguinis euacuationes aut suppressae, aut omissae, auctaque vis sensibilitatis et irritabilitatis. Hinc aetas, habitus externus, vitae genus ante actum, vietus ratio etc. medicum in dia-gnoxi morbi formanda instruent.

II. *Ob praegressos viscerum morbos, praesertim inflammatorios.* In illa corporis parte, quae aliquoties iam morbo est agitata, manet proclivitas quedam ad morbum, aut eundem, aut aliud quemcunque recipiendi, si causa morbifica excitans accesserit, quae fere semper locum per praegressos morbos labefactatum offendere solet. Sic, qui pleuritide, angina, ophthalmia, aliisque topicis inflammationibus obnoxii fuere, saepius in eadem mala incidunt; sanguis consuetudinem quodammodo nactus est, in locis iam ante affectis congestiones, ac inflammations producendi. Nonnunquam viscus quoddam iam ab aliquo tempore virtio notatur, functio illius laesa appetet; in quo casu causam morbi ibidem haerentem a stimulo inimico magis excitari, statumque visceris in peiorum abire, facile patet rem perpendenti, pro cuius veritate experientia loquitur. Sic qui pulmones tuberculosos habent, si quacunque ex occasione,

sione, e. g. spirituosis, motu et exercitio corporis immoderato, ardente Syrio incalescant, atque humorum circuitum incitent, his saepè vnum alterum ue tuberculum inflammatur. Hinc patet, quanta solertia medicum oporteat, viscerum conditiones in febri putrida examinare, et in morbos praegressos inquirere.

III. *Ob anni tempus, quod phlogosi fauet.*
 Tempore frigido, sicco, flante borea febres inflammatoriae, et simplices, et compositae graffantur. Illae rariores; hae frequentiores sunt. Sed in hac temporis constitutione etiam febres putridae fere semper quidquam inflammatorii iunctum habent. Peculiarem eiusmodi speciem febris putridae obseruauit STOLLIVS^{f)} Anno CICICCLXXIX, mense Martio, quo coeli clementiam aura asperior excipiebat, haec que cum illa alternauerat continuo. Viros maxime haec febris inuasit more peripneumonico. Sanguis initio parce, sed repetitim missus, dein decocta soluentia antiphlogistica profuerunt. Febris vno tractu pergebat absque violentis symptomatibus, sine exacerbatione notabili. Somnolentia assidua, lingua mucosa, os raro prauum. Incerta morbi duratio. Nulla manifesta crisis. Iuuarunt antiphlogistica. Nocuerunt omnis generis stimulantia, nocuerunt emeses et purgations, nisi subinde, abstensa phlogosi, morbo multum prouecto, et conuerso in febrem putridam *saburralem*. Videbatur nempe putridum in se-

C 3

cundis

f) *Rat. medendi* Tom. III. ephem. Mart. 1779. Viennae 1780.

cundis viis natum, et demum ad primas vias delatum fuisse. Circa medium Septembris eiusdem anni febres putridae saepe aliquid peripneumonici habuerunt; generatimque haec febris species obseruata est amare hiemes minus boreales, magis austrinas, vernos menses, serumque autumnum. Plura similia exempla legi merentur apud SYDENHAMVM g), et HVXHAMVM h), cuius vtriusque in morbis epidemicis obseruandis industria, et mira in illis describendis simplicitas immortalitatis charactere merito insignitur. Sint magni hi viri nobis tironibus medicis praceptoribus, quos semper veneremur; sint exemplar, quod imitemur: sequamur eorum vestigia; sequamur viam, quam in obseruando et mendendo veram tutamque nobis monstrarunt.

IV. *Ob constitutionem epidemicam.* Febris inflammatoria nonnunquam fit stationaria. Constat autem per obseruationes SYDENHAMI, et STOLLII febrem stationariam omnibus morbis febrilibus a quacunque causa productis dominari, eosque in suam potestatem redigere; hinc febres putridae, quaे in aegris sporadice tum obseruantur, cum phlogofes varii generis epidemice regnant, maiorem medentis attentionem merentur, quia raro accidit, quo minus putridum inflammatorio societur. Multoties periculosum hoc connubium tum in nosocomio, tum in priuatis aedibus suburbii, quod incolebam, anno elapso

g) Opuscula omnia, præsertim Sect. II.

b) De aere et morbis epidemicis, ed. Reichel.

elapso obseruauit, cum febris illa catarrhalis, vulgo *Catarrhus Russicus*, sub initium Aprilis hinc inde integrum familiam, aut domum inuaderet, demum circa medium eiusdem mensis, rupto quasi aggere flu- men, omnem agrum Viennensem inundaret. Multi moriebantur, multi abhinc vitam miserrimam hodie- dum viuunt; qui enim morbum neglexerant, aut per- uerse tractauerant, grauissimis inflammationibus pul- monum, hepatis, intestinorum etc. vexati aut animam egerunt, aut in phthisicorum catalogum in illa vrbe maximum translati sunt. Qui eo tempore ex febri putrida iam decubuere, aut in eam a causa singulari productam inciderunt, iis morbus ille inflam- matorio — rheumaticus sub diuersis stadiis accessit. Quosdam primis diebus morbi putridi sociis iunctis viribus aggressus est; quosdam serius, nonnullos sub finem morbi illius, dum reconualecerent, tentauit, atque miseris, quorum vires morbo diurno pre- gresso fractae iam erant, in nouum mortis periculum coniecit. Remedia antiseptica ex classe roborantium, adstringentium, stimulantium exulare debebant. Prospiciendum erat febri stationariae et febri putri- dae, quae tunc temporis bilioso-putrida, aut faburi- rali-putrida erat. Hinc remedia antiphlogistica, soluentia, lenia eccoprotica, decocta diluentia, at- tenuantia copiose hausta in usum vocanda erant. Nonnunquam, fracta iam phlegosi, sordibus pri- marum viarum maxima pro parte excussis, ad vires nimis labentes erigendas, et ad crisin, quae plerum- que diaphoresi fieri solebat, promouendam, exiguae
 Cam-

Camphorae doses, liquor Mindereri, epispastica, lemuescantia mirum iuuarunt. Patet ergo, quam vtile sit et necessarium, naturam febris annuae et stationariae noscere, vtramque inter se conferre, et inde medendi methodum desumere. Qui febri putridae medetur, ei saepenumero se offerunt aegri, qui delirant, qui sui non compotes, qui soporosi, stupidi sunt; quaerat ex iis: vel incongrua, vel nihil respondent. Quid igitur? — Constitutionis epidemicae, nimirum febris annuae et stationariae ratio habeatur, et secundum vtramque cura dirigatur. Certe, ait STOLLIVS, maximus studii constitutionum praeco, *seipsum et artem et aegros ludit, qui febrilium morborum curationes aggreditur, non manu identidem quasi ductus, hac fida itineris duce: temporis nempe peruestigata conditione.*

V. Ob peruerlam medentis methodum. Colluvies putrida in primis viis collecta, quae febrium putridarum communissima causa est, nisi et tempestiu et apta via eliminetur, intestina praecipue, sed etiam vicina abdominis viscera, pulmones, cerebrum etc. inflammare, in abscessum, gangraenam vertere potest, si ea in sanguinem recepta ad has partes decubuerit. Eadem mala contingere solent, si medici ob virium languorem promiscue et premature vinosa, aromatica, stimulantia aegris exhibeant, minimeque in causam morbi inquirant, neque earum, quas nunc statui, conditionum rationem habeant. Putant nempe, eundem ad speciem morbum eodem remedio debellari. Sed, quamdiu erroneum hoc praeiudicium

dicium nonnullorum animis insederit, quot et quanta mala in aegrotantes, et artem medicam redundabunt!

§. VII.

Exanthemata. Parotides.

Quodsi exanthemata febri putridae frequenter socia quacunque ex causa introuertantur, ac inde caput, pectus, aut abdomen impetatur; si in aegrotante simul diathermia inflammatoria, aliaeque conditionum §. VI stabilitarum accedant: febris vehementer excitari, pars ab aliena materie offensa inflammari solet. Quandoque in febri putrida parotis nascitur, quam pariter nonnunquam inflamatam medici celeberrimi obseruarunt. Optime hos casus recensuit Clar. BVRSIERIVS de KANIFELD ⁱ⁾, qui epidemias putridas adducit parotidibus stipatas, quae sanguinis missione sanatae fuere; neque huic obstat pulsus paruuus, debilis, qui vires potius opprescas, quam deficientes notauit; nam saepe post paucas sanguinis vncias emissas pulsus validius micabat, magis eleuatus, tensus factus, simulque dolor parotidis increuit ita, ut quandoque, sanguinis missione repetendi, necessitas vrgeret. Quem eundem plane casum ante aliquot annos Vindobonae in fratre vidit Celeb. Professor REINLEIN, nobisque in paelecti-
nibus clinicis retulit.

ⁱ⁾ *Instit. med. pract.* Vol. I. cap. de febri putrida.

D

CAPVT

CAPVT III.
MONITA QVAEDAM ET PRAECEPTA
MEDICO - PRACTICA.

§. VIII.

Difficillimum esse, mederi inflammationibus occultiis febri putridae sociis, non diffiteor; nam remediis antiphlogisticis maior fit virium ruina, phlebotomiis via panditur materiae putridae, qua liberius in sanguinem irruere possit: addito vero stimulo phlogosis fit intensior, ultra serpit, mortemque inuitat. Quid in re tam periculosa, tam difficult agendum sit, nemo desideret hoc capite contineri: normae huc pertinentes non tam verbis et scriptis determinari, quam ad ipsos aegrotantium lectos expertissimo viro duce ostendi, explicari debent. Monita ergo et paecepta, quae in hoc capite continentur, generalia sunt, et diagnostin, therapiam febrium putridarum respiciunt. Paucissima mea sunt, sed plurima ex STOLLII *Aphorismis* petita, quos hinc inde parum mutauit, et ex quibus ea obiecta selegi, quae rem, de qua differui, maxime concernunt.

Mon. I. Febri medentem oportet examinare aegri aetatem, sexum, conditionem, vitae genus, vietas rationem, morbos praegressos, praesentis febris decursum, et medelam fors iam adhibitam.

II.

- II.** Tempora oportet semper sollicitissime expenditure; febrim annuam et stationariam considerare.
- III.** Quotidie regio epigastrii, hypogastrii, hypochondriorum, ossis sacri, coccygis, natum, trochanterum exploranda.
- IV.** Cuiuslibet visceris functionem considera: praecipue ad respirationis conditionem attende.
- V.** Inflammationes viscerum occultae in febribus putridis methodum medendi poscunt, tam ab individua viscerum inflammatione, quam a febre principe indicatam.
- VI.** In omni phlogoseos concursu cum alijs vitiis quibuscumque prima ratio habenda est inflammationis.
- VII.** Subinde solum licet negatiua medicatione vti, id est: si iuuare non possis, non nocere; spectator rem age, et vide, quo natura tendat.
- VIII.** Si dubites de euacuatione instituenda, euacuationes fiant *exploratoriae*, per enemata, eckoprotica, exiguae phlebotomias etc. inde enim indicationum certitudo eruitur non raro.
- IX.** In exanthematum retrocessione, eorumque ad viscus aliquod periculoso decubitu, virium iusta fiat aestimatio. Vires vitae adhuc valentes, et tumultuarie impetum mouentes parum sopiae dae sunt: nimium deiectae stimulis blandis excitandae.

X.

X. In parotide tumente et inflammata, si non audeas venam secare, hirudines tumori circum admoue, vt suffocationis periculum arceas.

Fini dissertationis ornamentum conciliaturus, verbis STOLLII in Aphor. §. 854. concludo: *medico opus in febribus curandis sagacissimo; summe industrio; summe attento; perseverante; nec imprudenter festinante; indicationibus solum certis, remediis solum simplicissimis inhaerente; neque spe, neque metu, neque peruvicacia, neque praefidentia, neque aliud agendo, neque nouitatis studio in transuersum acto.*





OCCVLTAS
INFLAMMATIONES
IN FEBRIBVS PVTRIDIS CONTRA
DVRIA NVPER MOTA



D. FEBRVARII CICIDCCLXXXIX.
PRO DOCTORIS MEDICI HONORE
RITE CONSEQVENDO
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
IOSEPHVS PILTZ,
BRIGA - SILESIVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

